

**Disputatio inauguralis medica de diabete, / quam ... praeside Dn.
Georg-Balthasare Metzgero ... publicae ... censurae submittit
Johan-Philipp Caspar.**

Contributors

Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Caspar, Johann Philipp, active 1676-1679.

Publication/Creation

Tubingae : Typis excudit Gregorius Kerner, 1679.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ka6wnscv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Σὺν Θεῷ.

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE

DIABETE,

QUAM

Pro summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis
DOCTORALIBUS ritè acquirendis,*Aspirante Supremi Numinis Gratiâ,*Jussu & Autoritate Inclyti Gratiolæ Facultatis Medicæ
Tubingensis Collegii,

PRÆSIDE

DN. GEORG-BALTHASA-
RE METZGERO, Med. D. Praxeos, Ana-
tomix & Botanices Professore P. Ordinario,

Decano p. t. Spectatissimo,

Præceptore, Promotore atq; Hospite suo, debitâ gratitudine
& observantiâ æternùm devenerando,*Publicæ Eruditorum Censuræ**submittit*JOHAN-PHILIPP CASPAR,
Eßlingensis,

IN AULA NOVA.

*Ad diem 24. Januarij, Anno M. DC. LXXIX.
horis antemeridianis.*

Tubingæ,

Typis excudit Gregorius Kerner, 1679.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30765572>

Q. D. B. V.

QUàm miserè HIC, quem præ manibus habemus, AFFECTU Shujusque investigatio causæ excellentissimorum hactenus Medicorum ingenia torserit, & hodiernum torqueat, ii, qui sacra Hygienæ litant, inter notissima norunt. Miraculum quoddam *Aretæo* autore est, *de sign. & caus. diuturn. morb. l. 4. c. 2.* rarissimus affectus vix unò præter *Th. Willisium* vel nostro saltem seculo familiarem maximè, ne dicam quotidianum, asserentem *pharmac. rat. s. 4. c. 3.* contradicente, quò *Pergamenus* ipse, ut cæteros taceam, binos tantùm laborantes novit *6. de loc. aff. 3.* multique cum Medicorum principe, *Coo*, ejus ne quidem mentionem faciunt, aut tamen propter raritatem & infrequentiam hujus cognitionem Medico curaturo non summopere necessariam judicant *c. Z. Lusitanoprax. hist. l. 2. c. 17.* Sit autem, quicquid sit, quod multos magnique ingenii viros ab accuratiori materiæ hujus tractatione absterruerit, non tamen vapulaturum me aut temeritatis dignum crimine crediderim, si pro ingenio- limei viribus, quod à multis neglectum, à paucioribus, & rarius visum, duorum in Medicina suffraganeorum, rationis & experientiæ, ductu, per vetera, quæ occurrent, & modernorum vestigia, loco *Inauguralis Thematidis*, penitiùs inquiram, rara & infrequentia curiosiùs indagem, ut, dum accidunt, medica his arma condignè etiam objicere sciamus, *Wilhelmo Rondeletio* suffragante *l. 3. m. m. c. 42.* Ad hoc igitur dum me accingo, ut feliciter succedant omnia, Divinam mihi gratiam adstitem devotè peto.

THES. I.



Διαβήτης, Diabetes, Græcis pariter ac Latinis Affectus præbens audit, ἀπὸ τοῦ Διαβαίνειν transire, sive quod potus & liquida alia cunctò transeant, sive quod humor in corpore nullibi consistat, sed subinde de loco in locum Διαβαίνῃ, pertranseat, non aliter, quàm aqua per siphonem, quem Διαβήτην mechanici vocant, ut ex Columella l. 3. c. 10. Iohannes Gorraeus definit. med. ad hanc vocem monet. Aliàs ὕδρωψ ἐν ἀμίδῃ, Διὰ πόδα ἐν ἔργῳ, διψανὸς, Hydrops matellæ, ad aut in matulam, ad vas urinale, diarrhæa in urina, lienteria nephritica, urinæ fluor, fluentum, profluvium, urinæ levitas, siphon, siticulus morbus, &c. inscribitur, ut nomina hæc horumque rationes ubique obvia sunt, an benè vel malè facta effictaque omnia, jam non disputamus, magis de re ipsa solliciti.

II.

Est verò Diabetes velox & copiosa potius liquidorumque assumptorum aliorum non mutatorum per vesicam sine manifesta causa excretio, cum siti urgentissima, æstu p. n. & contabescencia totius, à ventriculi potissimum, & intestinorum ἀτονίᾳ s. laxitate orta.

III.

Verum ita Diabetem, aut ut alii malunt, consummatum describimus: H. Capi-vaccius exquisitum nominat præct. med. l. 3. cap. 27. Fieri hic adesseque excretionem aliquam, & quidem per vesicam, ut à similibus subinde per alvum aut sudorem accidentibus fluxibus distinguatur, Galenus de diff. sympt. c. ult. 6. de loc. affect. 3. 1. de cris. 12. prolixè adstruit eidemque veterum & recentiorum plurimi, Aëtius tetrabil. 3. serm. 3. c. 1. P. Aegineta. l. 3. c. 45. Al. Trallianus. l. 9. c. 8. 1. Fernelius. 6. de part. morb. 13. H. Mercurialis. l. 3. præct. med. c. 30. P. Forestus. l. 24. obs. 4. adstipulantur, rectèq; inde inter excretionis symptomata refertur; Vocamus autem excretionem potius & assumptorum liquidorum veriùs quàm urinæ, quod alii faciunt, nisi fortè cum I. Baptista Helmontio urinam potius intelligant, de sextupl. digest. §. 39. ut ut nec hoc modò ab omni se difficultate expediant; illa enim excerni consentientiâ, colo-

colore, odore, sapore, omnibus, ut assumpta sunt, qualitatibus integra, præter citatorum testimonia Auctorum ipsi hi oculi nostri notant, nares linguaeque comprobant: Consummata ita colore suo tincta *Th. Bartholinus c. 5. hist. Anat. 30.* vinum *Rhenanum idem c. 1. hist. Anat. 68.* rubrum *Benedictus Sylvaticus l. d. aquam, Julepos Victor Trincavellius l. 10. de cur. rat. 11. epist. med. 15.* alii alia apud eundem *Bartholinum de lact. thor. cap. 9.* omnia, qualia sumpta, emicta viderunt, odore saporeque probarunt; imò non liquida modò ut assumpta fuerent, sed & pulveres sub illorum porrectos præbio impermutatos rediisse per vesicam, *Gothofredus Mæbius fund. med. phys. cap. 11.* testis est: Ut vel ideò iterum *Willisus* unò vel alterò in contrarium exemplo visò hoc in universum negans *l. c.* assensum nostrum non mereatur, imò verum hunc diabetem, cujus ex veterum vestigiis character indictis consistit, nunquam, sed spurium semper observasse, vero valdè simile sit. Nec audiendus magis *Jacobus Heinricus Pauli* est, qui apparere solùm ejecta talia, revera non ita esse scribit, contra sensum fidem, in *epist. respons. ad D. D. Wepferum, adjecta anat. Bils. anat.* Porro dicimus: *velox & copiosa*; liquida quidem alimenta, diuturnam in ventriculo ob faciliem sui coctionem moram non desiderant, multò minùs potus quàm talis, ut coquatur, diu negotium ventriculo facessere opus habet, ut tamen debitâ illa mutatione gaudeant, suoque potus officio, quod ciborum inter alios usus coctioni succi que nutritii motui debet, feliciter fungi queat, imò ut sua hic urina secundùm nonnullos rudimenta accipiat, immorari aliquandiu necesse omnino habet; hujus autem moræ veluti pertæsus nec alteratus spe citiùs transvolat & debitò copiosior.

IV.

Copiam autem hanc unam eandemque in omnibus necessariam non esse, Doctores facilè largiuntur, assumptis tamen majorem ubique requiri, ut symptoma hoc nascatur, ferè cum *Mercuriali l. c.* potissimi concludunt; an rectè de vero Diabete hoc nostro, quicquid de spurio fiat, non sine causa dubitamus, cujus characterem non tam in excedente mictu, quàm in emictæ materiæ non mutata substantia, qualitatibusq; integris quærimus, nec hoc invitis maximi nominis Authoribus; ita *Æginetæ* sufficit, si talia mejantur, qualia pota sunt *l. 3. c. 45.* pariter *Trincavellius epist. med. l. c.* *Fernelius 6. de part. morb. & sympt. 15.* *Philipp. Sal-*

mutus Cent. 2. obs. med. 30. Th. Bartholinus c. 5. obs. 50. eorum, quæ bibita sunt, emissionem contenti sunt; & secundum Galenum exuberanter reddunt id, quod biberunt, eò à sua qualitate non mutato 6. de loc. affect. 3. Plures studio præterimus. Addidimus; sine causa manifesta: nec enim admiratione dignum est, si post multum potum, post sumpta diuretica, ab acidularum aut thermalium aquarum usa copiosè ingestarum, copiosum & crudum vesica liquorem fundit, indeque Fernelij Mercurialis simplicitatem ridet, qui tanquam rem mirandam vidisse se quendam magnam aquæ thermalis copiam potantem & totam rursus mingentem narrat l. c. Sequuntur sitis urgentissima, æstus p. n. & contabescencia corporis: evacuatio namque naturali humidò, quò in guttis solatium os faucesque jugiter irriganda veniunt, non potest non huius in ore desiderium & appetitus surgere; vid. Excellentissimi Dn. Præsidis diss. de siti p. n. aucta: detractio eò, quod calidiores sulphureas sanguinis particulas temperare & demulcere novit, planissima æstui p. n. via sternitur: deficiente, quò succus alimentarius diluitur, duciturque, imò alimentari materiâ inutiliter ipsâ profusâ necessariò suo partes dementò defraudantur & contabescunt.

V.

Subiectum Ventriculum & Intestina subinnuimus, sed adversarios tantum non omnes invenimus. Potior & communis pars omnem in ipsos renes culpam conjicit; cuius Galenus selectæ causam seriò agit 6. de loc. affect. 3. In specie Franciscus de le Boe Sylvius glandulosas renum carunculas non à nat plus feri, quam debent, lecernentes l. 1. prax. c. 55. sed, quod omnium pace dictum volumus, plus antiquitatis quàm veritatis hæc habere opinio videtur, me isq; si rem rectè videas, hypothesebus non concessis de renum attractice, venarum ab hepate, liene, horumque ex ventriculo & intestinis suctione similibusque in seqq. videandis superstructa; interim grandem hinc renibus injuriam fieri, cuius, qui rationem sanam consulit, partium studio sepositò, judicare facile est. Cum enim talia, qualia sumta sunt, substantiâ impermutata, colore, odore, sapore, integris effluant, illam utique laborare partem probabile est, cui hæc mutandi à natura potestas data est; at non renibus, sed ventriculo potissimum & intestinis hæc omnium consensu data est; hæc E. intacta transit materia, hinc vitium capit, quod in prima coctione commissum non corrigitur in secunda, non in aliis partibus, sed rejicitur mox potus

tus cum liquidis aliis per vesicam, ut in lienteria cibus per alvum, quæ cum Galenus symptoma hoc nostrum, quasi subiectum hoc per transfectionem ostendens, non incongruè comparat 6. de loc. affect. 3. malumque hoc, si non planè salvis, ad sensum tamen parùm læsis renibus, natum Trincavellius l. c. Petrus Parvius obs. Anat. 2. observarunt: Silentio transimus Hautonianum experimentum apud Ioh. Danielem Majorem, de arumn. gigant. in negot. sanit. c. 6. §. 55. c. 8. §. 4. signatum, quod vel solum, si fidem meretur, renes hac à culpa absolvere potest, ut circa ætiologiam mox plenius patebit: Avicenna & affectu vesicæ etiam arguere videntur, cujus inter symptomata affectui huic locum faciunt: expressis Galenus verbis vesicæ quoque affectum dicit de loc. aff. l. c. sed pro his Mercurialis respondet l. c. plura Zac. Lusitanus pr. histor. l. 2. c. 7. superaddit. Collectionis nos locum, non originis, non scaturiginis, agnoscimus. Universum Aretæus corpus nominat, quocum Willisio fortè convenit, qui totam massam sanguineam accusat. Sed aquam è pumice petunt, qui hinc materiam, salvò ventriculò accersere satagunt. Quò enim modò hæc in ventriculo materia, ne minimam quidem mutationem passæ, nec bilis aut pancreatici succi in intestinis vim experta, in sanguinem aut corpus ire, aut mutata ibi suam iterum formam induere potest? incongruum utrumque. Persistimus E. in ventriculo potissimum & intestinis, quibus se rectè habentibus, non possunt non quæ transeunt, mutationem pati, semelque mutata aut alterata nec in sanguine nec in partibus corporis reliquis pristinam formam suam colore, odore, sapore ex affectu respondentem recuperant: contra ubi se habent, inversa, collapsa omnia fiunt, vitiumque, ut dictum, in prima collectione commissum non corrigitur in secunda, non in aliis partibus.

VI.

Laborare autem ventriculum potissimum & intestina ἀτονία seu laxitate p. n. suspicamur secundam descriptionem. Sed ecce camari-
nam denuò movemus. Qui enim virus omne suum in solos renes evomunt, horum vel facultates, & alii quidem attractricem, alii costricticem, retentricem, secrettricem, expultricem, & quam non? partim in excessu, in defectu partim peccantes, vel intemperies, jam calidam, jam frigidam, &c. in jura trahunt. Verum, ut non regeramus, quàm difficile inter hodiernos complures assensum facultates hæc in genere, ni-

si in sano sensu explicentur, inveniant; videre enim hoc est apud *Gualiberum Charletonem æcon. anim. exerc. 7. Barth. Bausnerum de consens. part. corp. hum. in præfat.* nec non cæteros omnes *Cartesianam* scholam ingressos; Renum certè attractricem sanguinis in orbem motus jam dudum explosit, eandemque ante cognitum hunc sanguinis motum *Sennertus in præct.* in dubium vocavit, nec non *Petrus Laurembergius* contra *Laurentium & Medicorum* plerosque fortiter impugnavit, *coll. anat. exerc. 6.* Coctricem facilè excusant, qui renes in urina transcolanda se solùm passivè habere statuunt cum *Augusto Quirino Rivino* *dissert. inaug. de diabet. §. 30.* Secretricem *Ioh. Alphonsus Borellus* rejicit *de ren. us.* nec retentrici aut expultrici, si quæ sunt, plus tribui culpæ posse videtur: retinet illa, quod adest, excernit altera; cæterùm de materia, an cocta an cruda sit, quà ventriculo venerit, secuta utraque. Contra intemperies ipsa experientia militat, vid. *Plat. t. 3. pr. c. 10. Willisius* causam in sanguinis quasi deliquio quærit, dum in serositatem copiosè nimis funditur, & ita dissolvitur, ut particulæ aquosæ à crassioribus contineri nequeant, quin harum illæ amplexibus citò elapsæ & salinis imbutæ per vias renum maximè patentes excurrant: quem suò abundare judiciò permittimus circa diabetem spurium, non verum, non nostrum; idemque dictum volumus iis, qui ad vulgarem colliquationem confugunt. Stamus interim & perstamus in sententia nostra, & ventriculum præprimis accusamus, cujus languore potulenta & liquida alia nec comprehendi satis, nec fermentò imprægnari & mutari decenter possunt, sed spe & expectatione citius dimissa, ne facie quidem mutata, integra & illibata ad urinarias vias præcipitantur: adstant ventriculo intestina, quæ & ipsa imbecillitatis suæ conscia perniciem crudæ materiæ per fibrosam pylori annulum plus justò laxatum transfusæ, transitum & facilem effluxum indulgent, nec quod debent, alterationi beneficium conferunt. Tincturam inter alia suam assumpta hîc exuere, alvinarum fæcum color assumpta ad vivum non rarò referens abunde testatur, tinctaque hinc ex familiari vini rubri usu Italorum intestina *Adrianus Spigelius* vidit, non item aliorum potu hoc destitutorum. In causam hanc *Eustachius Rudius* jam dudum digitum intendit *l. 2. præct. c. 39.* eidemque *Dan. Sennert. l. 2. pr. med. p. 3. s. 2. c. 2. q. 2. Gothofred. Mæb. instit. med. l. 2. c. 7. Theod. Schenckius synops. instit. l. c. ex parte subscribunt.* Quod autem ad vesicam potius, quàm alvum, materia

eat, favere facereque multum videntur viarum in intestinis, præcipuè je-
 juno, conniventia, naturalisque hujus intestini dispositio; (Rugosum
 enim hoc non modò præ aliis magis est, ut remorari nonnihil descen-
 sum possit, sed & lactea hîc vasa magis prominula sunt, quàm in reliquis
 intestinis, ut materiam absorbere statim queant, secundùm *Glossonium*
de ventric. & intestin. cap. 11. §. 8.) nec non ipsius nonnunquam ma-
 teriæ conditio apud *Th. Bartholinum in defens. lactear. thorac. contra*
J. Riolanum p. 11. & defens. dubior. Anat. de lact. thorac. contra
eundem cap. 4. Non novum tamen est, alias subinde vias eligere: vi-
 dit enim *Eustachius Rudius l. c.* non solum, quæ mingebantur, odo-
 re & consistentiâ assumptæ porioni similia, sed & alvi feces mul-
 tò vinò, quod copiosissimè ingurgitatum fuerat, perfusas; *Philippus*
Salmuth cerevisiam, odore, sapore & omnibus vestigiis integram *c. 2.*
obs. med. 28. *Th. Bartholinus* vinum rubrum *cent. 4. hist. Anat. 62.* mel
 post exhibitionem mellis ros. *Ioh. Rhod. c. 3. obs. med. 68.* per sudorem
 rediisse autores sunt. Sed vias scrutabimur.

VII.

Harum autem scrutinium omnium difficilimum occurrit. Brevio-
 ribus hîc opus esse, quàm vel veteres olim per venas mesentericas com-
 munes in hepar & venam portæ, hinc in cavam & emulgentes ad renes,
 vel recentiores per lacteas mesentericas & thoracicas in cavam & utrum-
 que cordis mediantibus pulmonibus ventriculum ad aortam, hincque
 per arterias emulgentes in renes monstrarunt, res ipsa loquitur, excretæ
 materiæ facies omnis expers mutationis, excretionis celeritas, sexcenta-
 que alia persuadent, utut quæ & quales illæ sint, nemo satis huc usque
 explicuerit. Nonnulli has statim à ventriculo cum *Authore antiquissi-
 mo 4. de morb.* vel ad lienem per venas & arterias gastricas, epiploï-
 cas, vas item breve venosum & arteriosum, hinc ex arteria splenica in cæ-
 liacam & in truncum aortæ, sicque per emulgentes arterias in renes
 derivant, vid. *Sennertum l. 3. prax. p. 6, f. 2. c. 3. Conringium de gener. &*
mot. sang. c. 6. qui cum *Antonio Deusingio de alim. corp. depur.* operosè
 hos refutat. Ipse tamen *Conringius* cum pluribus recentiorum peculiare
 vasorum genus à ventriculo in lienem hujus gratiâ conditum, à venis &
 arteriis hætenus notis distinctum, & ut loquitur, tertium, necessarium
 nondum tamen detectum, credit, hujusque inventori aliquando futuro
 magnam laudem decernit, *l. c.* quam meruisse annò suo fatali, hujus

seculi quadragesimo nono, *Ioh. Veslingius* sibi visus fuit in *obs. Anat. & epist. med. 8. & 58.* iudicium de utroque, si vacat, *Excell. Dn. Praesidis*, hujus inventi *Veslingiani t. t. αὐτότης hist. Anat. lion. thes. 16. 22. vide.* Vel ad hepar, quæ constans *Galen*i sententia est, hancque adeo multi secuti sunt, ut iudice *Conringio l. c.* operosum sit vel sola omnium nomina adducere. *Ioh. Riolo* *Bartholinus* utramque hanc viam obijcienti rectè & naturæ incognitas vias & majorum traditione inventas esse, in *des. vas. lact. contra Riolan. p. 11. & seq.* imò si essent, tot se ambagibus involvunt, ut vel ideo hoc in l. ubi compendiosioribus opus est, exulare meritò debeant. An poros ventriculi feliciùs substituat *Mæbius l. 1. Instit. c. 9.* aut *Willisius* venas *pharmac. ration. s. 1. c. 2.* aliis iudicium relinquimus; certio rem nobis & brevior em viam, si hâc opus est, ductus œsophagæus largiri videtur.

VIII.

Omni um tamen verisimilimum divinare putamus eos, qui vias has in intestinis quærunt; statimque hîc rejectis veterum venis mesaraicis, post habitisque, quæ modernorum plures pro harum in integrum restitutione fingunt, lacteas *Acellianas Th Bartholinus* in scenam producit, quarum ope ad receptaculum chyli indeque ad renes ipsos per ramulos lacteos sive cum emulgentibus sive cum renibus ipsis immediatè communicantibus, facili brevique viâ tranare hanc materiam credit, hisque in tantum confidit, ut scribere non vereatur; Laborent, quantum velint, *Practici*, in renum intemperie, viarum laxitate, attractricis l. retentricis imbecillitate, nunquam tamen se expedient, nisi breves vias has perspectas habuerint, per quas sine substantiæ mutatione aut sanguinis miscella cito meatu pertranscunt assumpta. *c. 6. & 9. de lact. thbrac. Balthasar vander Cruyce* insertionem lactearum harum l. lymphaticarum in glandulas renales defendit, quarum potius ope ad renes & urinæ vias celeritè pervenire credit, in *epist. ad Deusing.* At priores *Deusingius* insufficientes iudicat l. *d. de alim. depur. 1. Theodorus Schenckius* manifestam dissolutionis adminiculò lactearum cum emulgentibus communionem desiderat *exerc. Anatom. 7. l. 1. s. 2.* posteriores *Gualth. Nedham*, destruit *de format. foet. c. 1. Bilsius* rorifera vasa sua, quæ quæque verum per universum corpus derivat, accommodare facile hic potest; sed quamdiu hæc à cognitis hæctenus lacteis & lymphaticis diversa non demonstrat, nihil diversi dicit. Nobis ex omnibus *Bartholiniana* ci-

tata sententia placet quidem, interim tamen, sub tot dissidentibus partibus viisq; per renes pro celeri hac & tam copiosa potius emissione adeo demonstratu difficilibus, dubium non exiguum incidit, an non insalutatis fortè renibus tota hæc materia aut aliqua saltem portio ejus ex sede statim intestinorum in sinum vesicæ feratur per vias hæcenus incognitas? Persuadere hoc *Hautonianum* posset experimentum jam antè citatum, quo Autor ligatis in cane ureteribus, viis ex renibus ad vesicam ordinariis, collectam nihilominus in vesica urinam vidit: persuadere possunt alia insolita planè, digesta, indigesta, communibus, ut videntur, viis planè inepta per vesicam non rarò emissa, non liquida modò, sed & solida, sem. anis. fœnic. gran. Alkekeng., acini uvar. frustula lactucæ, rad. apii, pili, carbones, muscæ, &c. Certè his & aliis motus *Ioh. Daniel Major* forsan de obscuris hac usque ureteribus, ut vocat, succenturiatis inveniendis cogitandum esse scribit, per quos non urina solùm, sed solida etiam corpora rectà ex intestinis in inguinale hydrophylacium transferantur l. c. nec alieni ab hac conjectura sunt *Deusingius* l. c. in append. *Matthias Tilingius* digress. physico Anat. de vas. br. lien. §. 330. seq. imò se in talpula secta *Tobias Andrea* quosdam horum ductuum rectà viâ ad vesicam tendentium satis certò invenisse putat in responso *Ludov. Bilsi* ad suas epist. experim. 1. Quicquid sit de hoc *Andreano* experimento, suspicio hæc non sine exemplo fovetur; peculiaris ad uterum vasa, alia ad mammas, complures hodie largiuntur, ipsius materiæ convicti præsentia: nec monstri quid alit, si pares ad vesicam ire utut hæcenus incognitas statuamus; breviter autem talia ex situ colligimus & sine dubio magis in liquidorum quàm solidorum transitum prona; Nec moratur nos, quod curiosissimo *D. D. Bohm*io, disput. phys. de urin. experimentum *Hautonianum* non successerit; fortè enim in paucioribus hanc viam patere, ut affectus ipse rarior est, credendum; nec enim uterina, nec mammaria illa vasa omnibus & omni tempore patent. *Guern. Rolfinccius* quidem nunquam insolita illa sine præstigiis aut fūco excerni verisimile putat dissert. Anat. l. 6. c. 29. quo cum *Ioh. Daniel Horstius* in manu duct. ad medic. facit; sed non lubenter incantationi cum *Thom. Barth. desp. caus. ex auth. hep.* tribuimus, quod per naturam explicari potest. *Theoph. Paracellus* dissert. Anat. jam olim etiam vias tales intactis renibus ad vesicam euntes subolfecit, quas tamen cum oculis usurpare non posset, per habitum carnis transfudare materiam

somniavit, quod Helmontio cessatum non malè pingue & ineptum audit.

IX.

Laxitatem hanc ventriculi & intestinorum proximè inducunt imperies horum frigida & humida, causa toni flaccidi, unde nec debite retinent assumpta nec decenter coquunt; nimia fibrarum dilatio aut extenuatio, ingluviei deditis communis, quæ talis sæpè & tanta deprehenditur; ut caput infantis excipiat teste *l. Riolo* *l. 2. enchir. anat. c. 24.* tunicæ interioris lubricitas, ob copiam viscidorum humorum, nervorum huc distributorum nimia laxitas, secundum *Glyssonium de ventr. & intestinor. c. 20. §. 18. & 24.* nec non ulcerosa ventriculi & intestinorum dispositio.

X.

Remotius in subsidium veniunt ex *naturalium* serie temperamentum sanguinis frigidum & humidum, ætas senilis *Barthol. c. 2. histor. Anat. 30.* an etiam sexus muliebris & dispositionem quasi hæreditariam *Wilhelmus Rondeletius* quoque in suspensionem trahit, quod affectum hunc ter in filia & patre viderit *l. 3. m. m. c. 42.* Ex non naturalibus ac symbolicis armatus qualitatibus, autumnalis *3. aph. 22.* fibrarum robori internecionem minatur. Cibus nimis frigidâ & humidâ lubricante virtute peccans, melonum præsertim, cucumerum, fructuum horariorum in universum omnium esus limites excedens conspirant; quas de cotoneis pomis *Thom. Bartholinus c. 5. hist. Anat. 22.* minas spirat, ibidem videri potest; corroborantes ex illis ventriculum vires nobis potius promittimus, quàm laxantes aut debilitantes. vid. *Ludov. Nonnium l. 1. diet. cap. 36.* Potus, liquida omnia largius ingurgitata, eandem culpam merentur, & in specie aquæ frigidæ apud *Al. Trincavellium l. 10. de rat. cur. part. human. corp. aff. c. 11.* tepentis medicatæ seu aquæ thermalis apud *Fernelium l. 6. pathol. c. 13.* diureticæ apud *Dodoneum obser. med. c. 32.* Niloticæ Ægyptis usitatæ apud *Rabby Moysi part. 8. aphor.* Vini meracioris *Amat. Lusit. c. 2. cur. 94. ephem. not. cur. anni 72. observ. 183.* acidularum Griesbacensium *Hildanum c. 5. obs. chir. 73.* generosi diuretici *Zac. Lusitanum l. 2. prax. admir. obs. 80.* Usus omnium diureticorum & lithentripticorum continuus suspectus est *l. Schenckio l. 3. fol. 499.* cæteras ab Authoribus notatas causas diabete spurio magis quàm nostro convenire putamus, nec, quod

notandum, diuretica aut lithontripica alio hic sensu acceptamus, quàm quatenus excedente humiditate sua tonum ventriculi laxare norunt, ut ex ejus potestate assumpta facilè excidant. Vomitoria crebriora ventriculi etiam tonum dissolvunt, venena internè & externè admissa, ut toti vitæ, ita & ventriculo insidias struunt. Nimium otium, somnus intempestivus, justò protensior, excretiones alvinæ suppressæ, apud *Bernardinum Christianum consult. med. & exemp. c. 61.* sudores consueti impediti & id genus alia in excludendo ovo hoc operosa sunt. Nocere etiam *Quem Pascualius meth. cur. morb. c. 50.* scribit; animi pathemata suum conferunt; afflicta ita ex vehementibus animi perturbationibus fœminam *Trincavellius l. c.* describit. *Glissonius* ex hypothese sua etiam spirituum animalium debiliorem influxum accusat. *l. c. c. 20. §. 22. seqq.* Ex p. n. pestiferæ, acutæ, ardentes febres, chronici nonnunquam morbi, scorbutus, hydrops, cachexia in universum debitam ventriculi coherentiam labefaciunt. Cor, lien, hepar, viscera alia in robur ventriculi fovendum confirmandumque facta, si negligenter suò funguntur officio, succendibulum hoc in malo suggerere possunt.

XI.

Signa diagnostica diabetes consummati nemini non obvia sunt; excretio materię per vesicam, quæ bibitur aut assumitur, talis, qualis assumpta fuit, sitis perpetua, extenuatio corporis & summa macies; In inchoata mitiora omnia, unde cognitu difficilior, quæ tamen indies ad ἀκμὴν suam magis magisque properat. *Distinctiva* ex superioribus hauriri possunt. *Prognostica* omnia terroris plena sunt; si non in prima statim herba cognoscitur & suffocatur malum, digestionum omnium prostrationem minatur, viriumq; jacturam. Auget prælagium hoc symptomatum plurimum satellitium, maximè si senibus accidit, febres pestilenciales, acutas alias, aut morbos chronicos sequitur. Nec omnis tamen *Curationis* spes decollat. Hæc autem consistit in morbi, cujus hoc symptoma umbra est, ablatione, causarum morbum foventium extirpatione & denique symptomatum correctione, quorum auxilia ex triplici consueto fonte, Dietetico, Pharmaceutico, Chirurgico petuntur.

XII.

Auspiciabimur à *Dietâ*, quæ convenit leviter calefaciens siccans & adstringens. Aër moderatè calidus & siccus eligatur; alimenta in

qualitatibus paria desiderantur, pulles ex tritico, *Zea*, amylo, oryza, milio, amygdalata similiaque laudantur, eoque magis, si cum aqua chalybeata præparentur aut coquantur; Potus paribus viribus præditus propinetur: ab hoc quidem abstinere, quantum fieri potest, è re ægri est; ad sitim tamen explendam, corporisque æstum temperandum carere hoc penitus non possumus; Ut itaque cibis parcius utendum & iis solum, qui viribus conservandis pares sunt; ita potus moderandus isque tantum admittendus, qui ad sitim modestè explendam aut temperandum æstum sufficit: inter alia aquam chalybeatam, decoct. C. C. ulsi ex *prax. chimiatri. Ioh. Hartmanni* commendamus. Vinum rubrum crassum & stipticum etiam convenit. Somnus paulò largior in virium refectiorem conceditur; excretionem alvinam promoveantur, cæteræ etiam, præter mictionem, non simpliciter aut semper damnandæ.

XIII.

Ex *Pharmacia evacuante* locum habent, si vitiosi in ventriculo humores tonum laxant & fibras emolliunt, eoque majori successu, si adstricta alvus concurrat. Commendatissima sunt aloëtica, aut ex rhab. aut myrobolan. parata; ita *Christinus* pil. ex aloë lota cum succo ros. mastiche, myrrha, horumque correctivis propinavit l. c. Vomitus quoque nonnunquam conducere, consentientibus aliis, credimus. Præcipuè tamen alterantia & roborantia adstringendi vi pollentia laudantur interna & externa; hæcque inter cæu specifica habentur *Stialia*, crocus ♂ adstringens, essentia croc. ♂. à *Crollio* descripta magnifunt. *Hartmannus* tincturam smaragdi, corall. in *prax. Chimiatri. Q. vitr. Fr. Hoffmannus m. m. Walean.* extollunt; & item corallior. mirabiles hinc potestates exercet, secundum eundem *Hartmannum*. Ex *Galenicorum* pharetra depromi possunt corallia, bolus arm. terra sigill. hæmatites, aqu. plantag. but. pastor. affatim bibita, sir. corall. myrtill. ros. sicc. de succo acetos. spec. dia plantag. Myns. sir. stipticus Mynsicht & hujus farinæ varia; conf. ros. r. antiq. conditæ myrobalani, conditura rad. lymph. diacydoniatum. *Ph. Grunlingius* pulverem ex glandibus l. folis l. etiam lentibus simul excorticatis & exsiccat in furno l. magis compositum à *Fel. Platero* descriptum commendat l. 4. *pract. p. 2. c. 8.* Theriacam etiam nonnulli commendant; nescire tamen se, cum calida sit, scribit *Platerus*, quomodo profit, nisi quod narcoticâ vi juvare possit, *tract. 3. prax. l. 2.*

o. 10. de mict. imò prodesse & aliò modò, ventriculum sc. humidum & frigidum corrigendo, laxum exiccando & roborando, nemo, nost. ò quidem iudiciò, inficias ire debet. Externa internis non infelicitè associantur, emplastrum stipticum, ceratum stomachale, unguentum Comitiss. ol. mastich. ol. myrt. cydon. rosar. pulveribus & succis adstringentibus mista, quæ ventriculo non modo, sed hypochondriis, lieni, hepati, lumbis, & renum regioni adtroveri cum successu possunt, ipsique Veteres omnia hæc in usum quoque vocarunt tum internum tum externum, in scji autem & inviti, dum renibus succurrere volebant, ventriculo sine dubio suppetias nobiscum tulerunt: Interna enim omnia hæcenus dicta ventriculum juvare in aprico est, pariterque externa ipsis etiam renibus adplicita vires sanguini imprimere, & circuli ope, ut omnibus corporis partibus, ita & ventriculo transfundere salutares norunt.

XIV.

Ex armamentario Chirurgico Avicenna & Græci inter initia, totò reple. ò, v. sc&ionem sed moderatam, ut præsentibus non modò sed & futuris viribus prospicerent, advocarunt, vide Hieron. *Capivaccium* l. 3. pr. 6. 27. Fontanellam brachiis affixam Z. *Lusitanus* mirificam subinde utilitatem præstare scribit *prax. histor. l. 2. c. ult.* Nos illò quidem labore supersedere in casu hoc nostro facilè possumus; fontanel- lam verò, indicantibus morbis chronicis à cacochymia altis, non omninò averſamur.

XV.

Restant symptomata suis etiam corrigenda remediis: sed ut um- bra morbi sui sunt, ita sine dubio hœc hujusque causâ ablatis, cessabunt & ipsa; de siti vero unum moneo, narcotica nim. & opiata sæpè hîc solatio esse posse l. ex ipso *Hipp. 5. aph. 27.* Urgente E. necessitate vel hoc etiam nomine non rejicimus. Consule, si lubet, Excell. Domini *Præs. d. disput. de Siti p. n. aucta. th. ult.* quæ hujus quoque Dissertationis esto.

F I N I S.

Sic-


Siccine meta Tuos tandem quæsitæ Labores
 Excipit & totum lata coronat opus?
 Siccine pressa diu porrecta resurgit in altum
 Splendidiùs meritis debita Palma Tuis?
 Plaudimus, & calidâ Tibi mente precamur Amici,
 Ut pede inoffenso proxima P R A X I Seat!

Ita

Nobili & Clarissimo Dno Candidato Respondenti,
 Amico certissimo, de obtento felici studiorum fine
 gratulatur

Commilitonum BIGA

M. Ieremias Cunradus Cellarius, }
 M. Iohannes Adamus Osiander, } Med. Stud.



Sic finem imponis studiis dexterrime CASPAR,
 Dum bene defendis de DIABETE Theses.
 Gratulor ex animo, Medicinæ evolvere casus
 Pergas, qua cœptum est dexteritate, precor.

Hæc gratulabundus Amico Amicus
 apposuit

Joh. Georg Becht,
 Med. Stud.